Quaestiones Medicae Omnes

In Scholis Parisiensibus agitatae,

Ab anno 1655, ad annum 1663:

Accedunt Theses Medicae extraneae:

quas quidem summâ diligentiâ collectas, in ordinem dispositas, et nitide colligatas, ornandae Facultatis Bibliothecae contexuit

M. Hyacinthus Theodorus Baron, antiquus ejusdem ordinis Decanus;

M. Hyacintho Theodoro Baron filio, quartum Decano,

anno 1754.



tom. VII.

DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. IANVARII,

M. DIONYSIO GVERIN, Doctore Medico, Præside.

An Melancholici breuioris vitæ?

VT in plantis & animalibus singula indiuidua post certum vitæ tempus intereunt, sic hominem necesse fuit iisdem principijs ortum similiter fato fungi. Bruta, cùm ratione careant, de conseruatione suæ speciei nequeunt esse sollicita, sed solius libidinis œstro incitata in complexus ruunt: Non sic Homo animalium & inferioris mundi Princeps, vniuersæ naturæ compendium, quem præterea ratio admonet, cùm se mortalem & dissolubilem sentiat, non omittendam esse sui nominis commemorationem, sed aliud indiuiduum sibi simile in suum locum esse reponendum, per quod quasi repuerascens quodammodò perpetuus fiat & æternus. Prolis isthæc propagatio & generatio prima est altricis animæ communio cum calore, vt vita, illius in humore primigenio permansio, qui si copiosus, pinguis, lentus, crassus, aëreus, longioris vitæ causa existit, breuioris contrà, & maximè si excrementorum exuperantiâ, quam otium & intemperantia pariunt, obruatur, aut vigilijs, curis, sollicitudinibus illius fiat imminutio & deperditio, vnde partium siccitas & senium ad interitum via.

NATVRAM nouercari ne credas quòd bruta animantia ad quina denáque sæcula vitam producant, & homini, in tam magna & excelsa genito, breuiorem multò & citeriorem terminum indulserit. Magna ingenia, vt parum fæcis ponderísque traxerunt, ita vitæ minùs auida semper fuêre, quam neminem velle ingredi putauerunt si daretur scientibus: Nunquam tamen major viuendi cupiditas, minor cura. Hic quotidie eijciendo vorandi facilitatem molitur, vino se obruit, neruorúmque firmitatem nimiâ vligine mollit & eneruat, perditâque valetudine corpus victum & effœtum tradit senectuti: Ille superuacuorum laborum operosâ sedulitate corporis vires exhaurit, aut graui & pertinaci animi contentione, melancholicorum instar, in studia & res serias incumbens, raptu caloris & spirituum ad superiora, cerebri ἀνάλωσιν inducit, chylosim interturbat, cuius noxam non emendat secunda vel tertia coctio.

MAGNITVDINI corporis aut paruitati tribuenda non est vitæ diuturnioris causa. Grandioribus quibusdam animalibus homo viuacior est: Plantarum & Insectorum multa sunt ἐπέτεια; quæ crasso, lento, multo, pingui humore abundant plantæ viuaciores existunt vt olea, platanus, cupressus, & vel ipsa palma Delia. Qui frigidas & septentrionales plagas incolunt, ijs qui calidas habitant μακροβιώτεροι, quippe dum ambientis feruore humidum primigenium absumitur, cita mors venit, vt Æthiopibus qui vix annum trigesimum excedunt. Melancholici, tùm qui acido & frigido abundant succo, tùm maximè atrabilarij, ὀλιγοχρόνιοι sunt: Illi hebetes, stupidi; hi solertes, sapientes, ingeniosi, πολυπράγμονες, αὐθάδεις, δυσχερεῖς, plerique egregij comedones, sæpiúsque valetudinarij, dum suorum corporum robora inquietâ & versatili mentis agitatione frangunt. In multis, vt in Polydamante, nimio robore membrorum mentis vigor hebescit, quasi sit suprà humanam felicitatem eundem esse robustissimum, viuacissimum & sapientissimum.

GIGNENDO cumulandóque sanguini melancholico obnoxij sunt qui, ob naturalem temperiem viuendíque consuetudinem, iecur & cor frigidum, & hypochondrium sinistrum distentum tumidúmque, & lienem infarctum imbecilliorem-ue obtinent. Tales in hydropem facilè incidunt, à quo superueniente non longâ dysenteriâ liberantur. Temperie biliosi, aut etiam sanguinei, (maximè si perspiratione carent, vitæque conditio sit tristior, studijs, curis, negotijs grauioribus, contemplationibus implicita, nullâ interpositâ animi aut corporis oblectatione & exercitatione) in melancholicas affectiones facilè incurrunt, quarum metus & tristitia certa sunt & indubitata τεκμήρια. In his ob Diocleam phlogosim praua fit coctio, cibus assatur non elixatur, calor est vstulator & λιγνυώδης non ἀτμώδης, vnde natiuus calor carpitur, corpúsque causarium & exsuccum statim præceps ruit in senium; hinc morborum seminarium, & amplissima medicinæ seges, nihil tamen proficientis in malè morato corpore, nam ex viuifici nectaris penuriâ excrementorum omnium prouentus sobolescit: In talibus sæpè faciei pallor, & interdum δύσχροια, & mœstitia, quæ si diuturna, perniciosa esse solet; cùmque animus pariter cum corpore sæpiùs ægrotet, sunt verba & voces quibus intestinos lenire dolores possis, & magnam morbi depellere partem.

MOLLES, candidi, obesi vix humoris melancholici copiam exaggerant, in his sanguis, benignus, temperatus, dulcis, ex quo solùm bona fit nutritio, mirâque naturæ prouidentiâ videtur effectum, vt radices omnibus qualitatibus affectæ fuerint præter quàm salsâ: Melancholici verò ijs arboribus similes sunt, quæ in regione aridâ & siticulosâ nascuntur, suntque macri, hirsuti, ὑψίφλεβοι. In his sanguinis φθορὰ καὶ λύσις; quo quidem licet venæ turgeant corpus tamen emaciatum, marcidum & squallidum fit: Et cùm acer sit, salsuginosus, nitrosus, vt alendo corpori ineptus reijcitur, respuitur, doloresque excitat qui cùm erroneo motu huc illuc acti fuerint, perniciosas sæpius συστροφὰς moliuntur. Tales vt dolendi sic conquerendi finem non faciunt, vnde non abs re medicorum cruces & tormenta nuncupantur, calida & æstuantia habent viscera, ijsque vnà cum calore innatum humidum disperditur, & velut tabificâ febre arescentes immaturâ morte decedunt. Nec mirum si rectè ijs consulitur sanguinis detractione, purgatione non ἁδροτέρως factâ, balneis, lacte asinino, vt victus ratione paulò pleniore & humidiore ad εὐσαρκίαν, maximèque ex alimentis quæ lentum, viscidum & glutinosum succum habent quæ cùm calori acri, vstulatori & depascenti resistunt, frænósque inijciunt, congenitam senij & interitus causam retardant.

Ergo Melancholici breuioris vitæ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Ioannes Anton. Bourgaut.	*M. Ioannes de Bourges.*	*M. Franciscus des-Fran[illegible]is.*
M. Michaël Langlois.	*M. Robertus Patin.*	*M. Ioannes du Cledat.*
M. Germanus Hureau.	*M. Michaël de la Vigne.*	*M. Claudius Quiquebœuf.*

Proponebat Lutetiæ ABRAHAMVS THEVART, Parisinus, A. R. S. H. M.DC. LV.